

ETIAM OB CHIROGRAPHARIAM PECUNIAM PIGNUS TENERI.

8.27.1

*Imp. Gordianus A. Festo.*

Pignus intercidit, si novatione facta in alium ius obligationis transtulisti nec,  
ut ea res pignoris nomine teneretur, cautum est.

1 ¶ Quod si pactum inter te eumque, qui postea dominus fundi constitutus  
novam obligationem susceperat, intercessit, ut idem fundus tibi pignoris  
nomine teneatur, quamvis personali actione expertus feceris condemnationem,  
pignoris tamen habes persecutionem.

2 ¶ Ac si in possessione fueris constitutus, nisi ea quoque pecunia tibi a debitore  
reddatur vel offeratur, quae sine pignore debetur, eam restituere propter  
exceptionem doli mali non cogeris. iure enim contendis debitores eam solam  
pecuniam, cuius nomine pignora obligaverunt, offerentes audiri non oportere,  
nisi pro illa etiam satisfecerint, quam mutuam simpliciter acceperint.

3 ¶ Quod in secundo creditore locum non habet: nec enim necessitas  
ei imponitur chirographarium etiam debitum priori creditori offerre.

*PP. id. Mart. Gordiana A. et Aviola cons.*

[a. 239]